mea habeo. ideo tu abeis faciem tuam auerte. & omnes iniquitates meas
dele. id est quia ego ea uideo tu noli ui(de)re. u(el) animam meam. Cor mundum
(innoua) crea in me deus. Creare dicitur quando res nouas & necdum factas con-
dit. Sed dauid prius cor mundum habuit. Nam de eo dominus ait;
inueni dauid filium iesse uirum secundum cor meum qui faciat om(ne)s
uoluntates meas; Crea ergo dicit. id est innoua. in me spiritum prophetie quem in me
inueteratus fuit dum peccarem. Spiritum rectum id est spiritum prophetie.
in uisceribus meis. u(el) in mente mea. Quidam hoc loco misterium sancte trinita-
tis hoc modo intellegunt. Spiritum principalem dicentes dominum patrem;
Spiritum sanctum accipientes christum; Spiritum uero rectum. terciam trinitatis
personam intellegentes. & ualde hic locus contra arrianos qui faciebant
gradus in sancta trinitate, Patrem maiorem. filium minorem. spiritum sanctum mini-
mum accipientes uel asserentes; Quorum illos demencia hic liquido confutatur.
Nam spiritum principalem in quo deus pater designatur. hic ultimo loco po-
suit. & spiritum rectum terciam trinitatis personam primo; Ne proicias me a facie
tua & spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Quem non ex toto amiserat. ideo dicit
ne offeras; Neque enim auferri potest id quod non habeatur. Iam ergo dauid
spiritum sanctum habebat quando poenitere incipiebat. Sine illo enim nequaquam
aliquis delictum suum. ualet intellegere uel poenitere uelle. Redde
mihi leticiam salutaris tui. ut iterum habeam leticiam de aduentu filii
tui quam prius habebam quam peccarem; & spiritu principali confirma — redde de
me. id est spiritu dei patris; Docebo iniquos uias tuas. Cum redieris mihi le- — ris
ticiam. docebo peccatores precepta tua; & impii ad te conuertentur id est dum igno-
rantes mea predicacione meo exemplo. Quis enim desperatus ita obstinate &
obdurato corde esse potest qui uidens. dauid ex tanto flagicio indulgenciam pro-
meruisse. Insuper & regnum & prophetie donum recepisse non animetur. tali-
ter que modo beatus dauid non solum penitenciam egit. Due quippe sunt spe-
sed etiam alios agere docuit;

License: cc-by-nc-sa – Lyon, Bibliothèque municipale, 788 (olim 706), LyonBM788_085_46R – Fragments of manuscripts from Lyon's cathedral library (https://fragmentarium.ms/view/page/F-u6r6/337/4937)